



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**VALETVDINARIORVM VITA  
ROBVTIORVM DIVTVRNIORE**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICII

ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE SENIORE, ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
REGLARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE XXIX. APRILIS, A. R. S. MDCCCXLV.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

**IOANNES GODOFREDVS ZOBEL**  
GOLDBERGA-SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELI VIDVAE.



27

DISSERTATIO IN AEGRIALIS MEDICA  
DE  
VALETTUDINARIORVM VITA  
ROBUSTIORVM DIVTIORIB

CONSENSV GRATIOR ORDINIS MEDICORVM  
PRAESIDE  
VRO HVASTI RECHTSTREMO ET FVRETTSTREMO  
D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS  
POTENTISSIMAE PRINCIPIS RHOE A CONSILII INTIMAE  
MEDICAE ET LIBERORVM IN VITAE NOSTRORE VRO ORDINARIO  
PAC ET RECHTSTREMO ET RECHTSTREMO ALMANORVM SORD  
IN ITALIA ACAD NAT GROS PRINCIPIS ET CONSILII PAVATI CAROLINO  
RECHTSTREMO SOCIETATVM SOCIETATVM ANCOGNANAE, RECHTSTREMO  
ET MONSIELENSI SOCIATI

FRANCISCVS DOCTORIS  
SYMPTOMATA FEBRIS A NO FORMIS ET FINITISS  
DOCTORALIS MIX CONSILII  
die XVII APRILIS A N 1710 CCXXV  
IN ALMA REGIA IMPERIALI  
VITAE MEDICAE

IOANNES GODFREYVS ZOBEL  
GOLBERGA-SILESIVS

IN AEGRIALIS MEDICA





VIRIS  
ERVDITIONIS FAMA, VIRTVTVM SPLENDORE  
CONSPICVIS,  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
DOCTISSIMO,  
DOMINO  
D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERO  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS  
INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORI  
PVBLICO ORDINARIO, FACVLTATIS MEDICAE SENIORI, REGIORVM  
ALVMNORVM EPHORO, IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIO-  
SORVM PRAESIDI, REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM,  
ANGLICANAE, BEROLINENSIS ET MONSPELIENSIS SODALI,  
COMITI PALATINO CAESAREO.



ITEMQUE  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

D. FRIDERICO  
HOFFMANNO

MEDICINAE PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,  
POTENTISSIMI REGIS PRVSSIAE A CONSILII AVLICIS

PATRONIS, FAVORIBVS  
ATQVE  
PRAECEPTORIBVS,

HOC QVICQVID LITTERARVM EST  
IN

PVBLICVM ATQVE PERENNE

ET PIATIS, OBSERVANTIAE, GRATISSIMIQUE ANIMI TESTIMONIUM  
OB

MVLTA, PERMAGNA ATQVE INSIGNIA BENEFICIA,

CVM ARDENTISSIMO

FELICISSIMAE ET SEMPITERNAE PROSPERITATIS  
VOTO

SACRVM ESSE VOLVIT

IOANNES FRIDERICVS GOTLIEB GOLDHAGEN.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
VALETUDINARIORVM VITA  
ROBUSTIORVM DIUTVRNIORE.

PROOEMIUM.



Quae mortem inferunt, causae, ea ferme, qua tyrannus solet, agere ratione videntur. Hic in valentiores, quos meruit maxime, gladios praecipue stringit; illae in homines maxime robustos saevit, debiliores, quasi parum resistentes, contemnentes indignosque veluti iudicantes, erga quos pestiferam suam adhibeant potentiam. Mira sane observatio! Quos iuvenes, adolescentis virosque robustos validisque nervis instructos, fa-



cie florida, colore ex rosis liliisque mixto nitente, omnesque ferme contra morborum causas & iniurias adeo pugnantes conspexeras, ut nulla fere re nec sanitatem eorundem, nec vitam concuti posse suspicatus esses, mox, vel acuto, vel chronico morbo correpti, in optimo vitae stadio abripiuntur, cum alios contra ea, causaria tantum valetudine fruentes, leni causa adficiendos, ad summam saepe senectutem peruenire videas. Frequens adeo phaenomenon dignum iudicavi, de quo publice in Specimine inaugurali differerem. Causas scilicet suppeditabo, quibus fit, ut valetudinariorum vita robustiorum plerumque sit diuturnior. Quod ut perficiam, de *vitae diuturnitate & longaeuitate* primo dicam; *statum* dein *corporis valetudinarii & robustioris* euoluam; *causas* denique, *e quibus allatum phaenomenon deduci debet*, afferam. Accipe iam *Lector* haec mea conamina beneuole!



## §. I.

**H**ominem, quem vulgari & recepto loquendi usu *uiuum* adpellas, attentius considerans, deprehendes, vel omnes, quas Medici ita dicunt, functiones adesse in corpore, vel nonnullas tantum, reliquis deletis, superstitis existere. *Vitam ergo corporis humani* (quam Medicus proprie tantum curat) satis concinne per eam illius conditionem describere possumus, sub qua vel omnes, vel nonnullae tantum in eo obtinent functiones. Hinc ergo *vita corporis* quandam adhuc integritatem semper supponit.

## §. II.



§. II.

*Sanitas corporis humani* ponit talem solidorum fluidorumque conditionem, qua fit, ut functiones integrae oriantur, durent. Conditio solidorum & fluidorum interna, priori opposita, dicitur *morbus*. Quare vita cum morbo quidem existere (§. I.) potest; requirit tamen semper, vel perfectam sanitatem, vel huius saltem particulam. Nam vita ad minimum nonnullas functiones corporis humani sibi vindicari (§. I.)

§. III.

Quo maius illud temporis est spatium, per quod vita durat, eo est *diuturnior*; eo autem *breuior*, quo arctioribus temporis est circumscripta limitibus. Duratio vitae, protrahata ad terminum, quem pauci attingunt, dicitur *longaeuitas*. Haec stadium vitae, a LXX. ad LXXX. annos saltem extensum, postulat. Annos enim his inferiores, non pauci, sed multi omnino homines, restante id saepe reiterata obseruatione, consequi solent.

§. IV.

Vita corporis humani sine omni functionum integritate cogitari nequit (§. II.), illiusque causa in functionum integritate & perfectione latet (§§. I. II.). Quo maior itaque haec fuerit integritas, quo plures functiones eadem gaudent: eo magis spes adfulget, fore, ut vita diutius duret & ad longaeuitatem vsque protrahatur (§. anteced.). Quo minus vero illa obtinent: eo minor est probabilitas, qua diuturnitatem vitae longaeuitatemque speramus (§. citat.). Vid. *celeberr. LVDWIGII Institut. Physiolog. §. 612. BOERHAAVII Institut. §. 1054.*



## §. V.

Functionum integritas corpus humanum ad longaeuitatem vitaeque diuturnitatem disponit (§. anteced.). Omne ergo id, quod eandem conseruat, diuturnitatis vitae & longaeuitatis causa existit; id contra ea, quod eandem, grauius potissimum, laedit, breuiorem vitae terminum futurum esse indicat. Haec iam propositio, vt subsequencia a nobis rite intelligantur, specialius consideranda erit. Patebunt enim hinc causae, quae faciunt, vt vita in vno diutius, quam in altero subiecto duret.

## §. VI.

Functionum integritas duobus maxime momentis innitur, I. *integritati partium solidarum & fluidarum.* Functiones enim corporis humani ab actione & reactione fluidorum & solidorum in se inuicem proficiscuntur (per Physiolog.). In his ergo functionum causa laet. Quodsi nunc causa effectus cuiusdam integra non fuerit: neque ipse effectus integer existere potest. Functionum itaque integritas sine solidorum & fluidorum integritate cogitari nequit. Haec ideo illius continet rationem. II. *Rebus externis ita agentibus, vt nulla exinde partium solidarum & fluidarum laesio & labes insigatur.* Quum enim corpus humanum rerum externarum actioni expositum sit, qua saepius solida & fluida corporis nostri laeduntur: functionum integritas conseruari nullo modo potest, nisi earundem adeo modificetur actio, vt conseruent, neutiquam vero destruant illam fluidorum solidorumque conditionem, quae ad functionum integritatem necessario requiritur (u. I.).

## §. VII.

Quum notum ex Physiologia sit, integritatem & solidorum



dorum & fluidorum eam esse eorundem conditionem, sub qua solida cohaesionem, rigiditatem inter & laxitatem mediam; fluida vero mixtionem, statum cohaesionis, spissitudinem inter & tenuitatem mediae, producentem, copiamque habent, cum qua proportionata actio & reactio partium contentarum & continentium consistere potest (*Celeberr. LVDWIGIVS* l. cit. §§. 626. 628. 632. sqq.): dubium non est, quin allata momenta ad functionum quoque integritatem requirantur (§. anteced. n. I.). Quodsi nunc cum illis eiusmodi rerum externarum confluat actio, qua illa non solum non tolluntur, sed conseruantur quoque, opus tunc est, vt functionum integritas omni modo determinetur (§. anteced. n. II.), atque hinc abinde etiam ad vitae diuturnitatem longaeuitatemque maxima cum probabilitate colligi queat (§. V.).

## §. VIII.

Quum fluidorum solidorumque conditiones, §. anteced. descriptae, vitae diuturnitatem & longaeuitatem efficiant: res vero externae actione sua non nisi illarum auxilio salubriter agant (§. VI. n. II. & §. anteced.): sequitur, causas, vitae diuturnitatem minuentes, ad eas reduci posse, quae conditiones solidorum & fluidorum, §. anteced. traditas, immutant (§§. V. VI. VII.). Istaе vero causae nominantur *morbificae* (§. II.). Constat itaque hinc, quaecumque causam morbificam vitae diuturnitatem minuere, quarum ergo causarum absentiam, aut minorem saltem actionem, & diuturnitas & longaeuitas merito postulant (§. anteced.).

## §. IX.

*Semina morborum* dicuntur eae fluidorum & solidorum conditiones, quibus fit, vt corpus humanum ad morbos disponatur. Abeunt haec in *naturalia & praeternaturalia*.

Illa



Illam in statu etiam hominis, cui sanitatem tribuimus, adsunt, v. g. mixtio fluidorum facile commutanda. Haec vero tunc demum assumi possunt, quando morbosum quid in corpore statuimus; sic v. gr. debilitas, a morbo relicta, erit seminum morborum praeternaturale. Semina morborum naturalia in communia iterum & propria dispescuntur. Communia omnibus hominibus, propria nonnullis aut vni tantum competunt. Sic mixtio fluidorum, facile commutanda, non solum morborum est seminum, sed quoque, quum in hominibus sanis omnibus deprehendatur, commune. Quae vero a temperamento & idiosyncrasia morborum enascuntur semina, ea naturalia quidem sunt, sed propria. Vid. GAVBII *Institut. Patb. medic. § §. 75. 606. seqq.*

## §. X.

*Potentiae nocentes* nominantur causae, quae cum semino demum coniunctae morbum faciunt. Dicuntur alias quoque *causae morborum occasionales*. Confer GAVBIUS l. c. §§. 76. 419. seqq. Hinc omnis tandem morbus a causa provenit, quae ex confixu semini & potentiae nocentis redundat (§. anteced.).

## §. XI.

Vitae diurnitas & longaeuitas postulant, ut causae morbificae absint, vel maiorem saltem actionem exerant (§. VIII); causae autem morbificae vel semina sunt (§. IX), vel potentiae nocentes (§. anteced.). Vitae ergo diurnitas & longaeuitas requirunt, ut semina non minus morborum, quam potentiae nocentes, vel absint, vel minus valide agant. Atqui experientia docet, corpus humanum morborum semina semper continere, potentiisque nocentibus continuo ferme esse expositum. Vitae ergo, quam observamus, diurnitas &



& longaeuitas a defectu feminiarum & potentiarum nocentium deduci non debet, sed a minus valida eorundum actione (per anteced. & §. VIII.). Attentus ad experientiam a posteriori haec intelliget.

§. XII.

Quum causa vitae diuturnitatis & longaeuitatis corporis humani non nisi in minus valida feminiarum & potentiarum nocentium actione haereat (§. anteced.): necesse est, ut vita hominis tanto sit diuturnior, quo minore cum vi allatae morborum causae in corpus agunt, tanto vero breuior, quo grauiore cum vi & impetu in corpus irruunt. Cumque etiam semina morborum naturalia communia cuicumque competant homini (§. IX.): in vitae diuturnitate & breuitate determinandis ad potentiarum nocentium, & feminiarum naturalium priorum (§. IX.) & praeternaturalium validiorem mitioremue actionem attendere tantum debemus.

§. XIII.

Vita itaque hominis eo erit diuturnior, quo I. *pauciores potentiae nocentes, quoque pauciora semina in corpus agunt, aut illi insunt.* Nam quo pauciores causae ad effectum quendam determinandum concurrunt, eo minor est, ceteris paribus, effectus. Pauciores ergo potentiae nocentes paucioraque semina, ceteris paribus, minorem exerunt actionem, quam plura concurrentia. Hinc diuturnitatem vitae & longaeuitatem permittunt (§. anteced.). II. *Quo minores potentiae nocentes minoraque semina morborum aut admittuntur, aut adsunt.* Quo minor enim est causa, eo minorem exerit effectus (§. anteced.). III. *Quo infrequentiores potentiae nocentes admittuntur.* Alias semina morborum, ab actione potentiarum nocentium oriunda, nimium quantum adaugen-

B

tur,



tur, &, ob frequentem actionem, nimis validam potentiam acquirunt. Potentiae itaque nocentes, minus frequenter admissae, diuturnitatem vitae promittunt (§. anteced.). IV. *Quo minus semina morborum naturalia propria & praeternaturalia a statu sanitatis recedunt, cautiusque vitae regimen instituitur & violentiae externae vitantur.* Eo minora enim sunt semina morborum, eoque minus validae potentiae nocentes (n. II. III.). V. *Quo magis demum semina morborum praeternaturalia absunt.* Eo minorem enim actionem semina quoque morborum producant, eoque facilius vitae diuturnitatem permittunt (§. anteced. & n. II.).

## §. XIV.

*Quo plura contra ea morborum semina, quoque maiora adsunt, quo plura interna obtinent, quae aut vere sunt praeternaturalia, aut his tamen maxime vicina: quo minores pluresque potentiae nocentes frequentius admittuntur, quoque minori cum cura regimen congruum observatur externaeque violentiae evitantur: eo breuior erit vita hominis.* Contrariorum enim contraria est ratio (§. XII. & anteced.).

## §. XV.

Experientia docet, contingere haud raro, ut in vno multa & grauia semina morborum obtineant, potentiae vero nocentes minus valide agant; in altero autem hae grauiiores existant validiusque agant, semina contra morborum parua sint atque longe pauciora. Quum isti casus ex §§. XIII. & XIV. non adeo facile diiudicari queant, iis tamen subsequencia, de robustiorum & valetudinariorum vita differenda, maxime innotantur: quaeritur iam, an diuturnior vita futura sit in prior, aut posteriore casu? Quoniam semina morborum morbum



bum nondum faciunt (§§. IX. X.), sed cum nocentibus potentiis demum coniuncta (§. X.): potentiae autem nocentes, grauius diuque in corpus agentes, semina demum multa producere debent (§. cit.): sequitur, vitae diuturnitatem in priore casu maiori cum probabilitate, quam in altero, sperandam esse. *Subiecta itaque, quibus multa & grauia morborum insunt semina, potentiarum vero nocentium actioni corpus suum, quantum fieri potest, non exponunt, vitam iis diuturniorem facile acquirunt, quae pauca quidem & minora morborum semina gerunt & continent, validiores vero multasque potentias nocentes frequentius admittunt.* Quam utilis haec propositio in hac sit tractatione, ex postmodum dicendis facile elucescet.

## §. XVI.

Postquam haecenus de vitae diuturnitate & longaeuitate, causisque vitam diuturniorem & breuiorem inferentibus, dictum est: opus nunc est, vt, vi Prooemii, de *statu corporis valetudinarii & robusti* differere incipiam. Hinc enim, iis, quae haecenus euincere allaborau, collatis, causae phaenomeni, quod indagare suscepi, innotescunt.

## §. XVII.

*Valetudinarius* vocatur is, qui a leuissima etiam causa aegrotat. Qui vere, id est ita aegrotat, vt sensibus id percipi queat, non dicitur valetudinarius, neque is etiam, qui adeo valida sanitate gaudet, vt valetudo a leuioribus causis non laedatur. Quam ergo produximus corporis valetudinarii definitionem, vera est & per usum loquendi confirmata. *Valetudinario* opponitur *robustus*, cuius itaque si concuti debeat sanitas, non nisi potentioribus causis cedit.



## §. XVIII.

Valetudinarius, cum a leuissima etiam causa morbose adficiatur (§. XVII.), maximam omnino ad aegrotandum dispositionem habebit. Corpus enim humanum, absque dispositione illa consideratum, leuissimis morborum causis facile resistit tantopere, ut causae istae effectum suum non exserere queant. Obseruato itaque huius rei contrario, non poterit non ad maximam corporis dispositionem, qua morbus facile efficitur, iusta valere consequentia. Quum autem in robusto morborum ortus potentiores causas morbificas requirat (§. anteced.): hinc minima ad aegrotandum dispositio, in eiusmodi corpore praefens, colligi debet. Vtrumque per experientiam facile etiam corroboratur.

## §. XIX.

Causae, corpus humanum ad morbos disponentes, morborum sunt semina (§. IX.); quae vero haec excitant, vocantur potentiae nocentes (§. X.). In valetudinario autem maxima adest ad aegrotandum dispositio, ita ut leuissima causa accedens morbum vere producat (§§. XVII. XVIII.). Nullum hinc erit dubium, quia *valetudinarius tam valida contineat morborum semina, ut leuissimae potentiae nocentes, prioribus associatae, morbum vere ingenerent. Robustus contra ea tam infirma habebit morborum semina, ut, si morbus prouenire debeat, longe validiores potentiae nocentes accedere debeant, sicque id quasi compenferur, quod seminiorem magnitudini decedit (§. anteced.).*

## §. XX.

Semina morborum cum eo valentiora sint, quo plura & maiora concurrunt, quoque magis interea vel vere praeter-  
natu-



naturalia, vel propria quidem & naturalia, valde tamen ad statum morbosum accedentia, obtinent (§§. XXII. XIII.): sequitur, in corpore valetudinario descriptas condiciones, semina quod attinet, deprehendi debere (§. anteced.). Illud vero corpus, quod robustum est, pauciora & minora habebit semina morborum, quorum simul ea esse debet ratio, ut neque praeternaturalia sint, neque eiusmodi propria, quae ad statum morbosum proximius accedunt (§§. XII. XIV. XIX.).

## §. XXI.

Notum ex Physiologia est, statum sanitatis ab omnibus equidem partium solidarum & fluidarum viribus determinari, inter has tamen maxime sensibilitatem & irritabilitatem emineret. Quamdiu itaque nominatae modo vires statui sanitatis exacte respondent, tam diu adeo vniuersalis ad aegrotandum dispositio, quae in valetudinario obtinet (§§. XVII. XVIII.), vix adesse potest, id quod sane eo certius est, quo magis reliquae fluidorum solidorumque condiciones confluunt, ut irritabilitas & sensibilitas modificetur, prouti ex eo patet, quod pro copia, mixtione & motu fluidorum, proque cohaesionis in solidis diuersa ratione, differant etiam sensibilitas & irritabilitas. Quum ergo vniuersalis ad aegrotandum dispositio sine irritabilitatis & sensibilitatis mutatione concipi non possit: sequitur hinc, eandem quoque in valetudinario deprehendi debere (§§. XVII. XVIII.). Quoniam vero haec dictarum virium mutatio cum statu sanitatis conspirare plenarie nequit (§§. citat.): eadem vitia irritabilitatis & sensibilitatis adnumerari debebit, harum autem virium vitia, quae hic obtinere possunt, ad nimiam imminutionem & augmentum referri possunt. Nimia imminutio irritabilitatis & sensibilitatis statum inducit, sub quo



corpus humanum minus adfici potest (per Patholog.). In statu itaque valetudinario *torpor* neque irritabilitatis, neque sensibilitatis satis apte adsumi potest (§. XIII.). *Subiectis* ergo *valetudinariis nimia irritabilitas & sensibilitas competit*. Verum *robustis* neque hoc praedicatum, neque *torpor* adscribi potest. Hinc robur illud horum subiectorum minor a causis morbificis adfectio (§. XVII.) reicere videtur. Haec subiectorum differentia satis est ponderosa.

## §. XXII.

Quodsi poneremus, in corpore humano nulla plane morborum seminia existere, nullus tunc unquam morbus in eodem esset possibilis; seminia enim morborum corpus demum humanum ad morbos concipiendos disponunt (§. IX.). Neque ipsae potentiae nocentes possibiles forent. Nam haec ideo sunt potentiae nocentes, quod seminia morborum in corpore dantur (§. X.). Quoniam ergo ex his constat, seminia morborum non horum tantum, sed potentiarum etiam nocentium rationem continere: hinc cum copia & pluralitate seminiarum, in subiecto quodam praesentium, copiam quoque potentiarum nocentium increfcere, cum illorum autem decremento horum etiam copiam decrefcere, patet. Nunc autem corpus valetudinarium plura, corpus vero robustum pauciora continet morborum seminia (§. XX.): quare *corporis valetudinarii respectu plures longe dantur potentiae nocentes, quam respectu corporis robusti*. Aëris qualitates quam facile laedunt valetudinarium, quam difficulter vero robustum! cibi paullulum duriores mox cardialgiam, anxietatem aliaque incommoda in valetudinario creant, quae a corpore robusto, istis etiam admissis, absunt. Plura ab experientia desumpta momenta, eam quam



quam enunciauimus, propositionem luce meridiana clarius ostendere possunt. Quum autem satis nota & vulgaria sint, eorum recensioi ulterius inhaerere superuacaneum duco.

## §. XXIII.

In corpore valetudinario non tantum feminiarum morborum, verum potentiarum quoque nocentium ingens subnascitur copia (§. XX. XXII.). Nunc morbi ex feminiarum & potentiarum nocentium confluxu oriuntur (§. X.). In corpore ergo valetudinario morbi frequentius gigni debent. Robustus contra ea pauciora habet feminia morborum (§. XX.), paucioresque potentias nocentes metuentes (§. anteced.), adeoque in eo morbi esse debent infrequentiores. Verum enim vero corporis humani ea est ratio, ut iis, quae saepius patitur, demum adsuescat. *Corpus itaque valetudinarium aegrotandi demum consuetudinem contrahet, a qua corpus robustum magis erit alienum.* Atque haec quoque differentia, quae subiecta intercedit, maximi est in Medicina ponderis.

## §. XXIV.

Quando morbus in corpore humano subnascitur, duae tunc potentiae erga se inuicem agunt; causae nempe morbificae & vires vitae. Quo maiores sunt vires vitae, eo difficilior morbus enascitur, qui vero determinatus tandem, eo etiam est grauior. Quo maiores enim sunt vires vitae, eo maiori in gradu reagent. Causae itaque morbificae eo minus in eiusmodi casu obstaculum inueniunt, quod impedit, quo minus suum effectum, nempe morbum, producant. Morbus ergo, eo in casu enatus, eo validiorem etiam causam



fam morbificam sibi vindicat; qui ideo, cum effectus magnitudo ex causae agentis magnitudine dimetienda veniat, eo etiam tunc grauior erit. Quodsi vero, vt haecenus euctum dedimus, eo grauior sit morbus, quo maior est vis vitae in corpore, quod morbus occupat; nullum quoque erit dubium, quin *in corpore robusto morbi suborti sint grauiores, mitiores in corpore valetudinario*. Ex definitionibus enim, §. XVII. datis, patet, in isto vires vitae longe esse maiores, quam in hoc, quod caussarum morbificarum impetui adeo facile cedit.

## §. XXV.

In corpore valetudinario dispositio maxima ad aegrotandum adest (§. XVIII.). In corpore itaque valetudinario functiones non poterunt non minus esse integrae, quam in corpore robusto, cui minima ad aegrotandum dispositio inhaeret (§. XVIII.). Integritas vero functionum earundem vigorem requirit (per Phytol.), qui itaque in corpore valetudinario minor est, quam in robusto. Quo maior porro est functionum vigor, eo validius perficiuntur eoque citius senectus inducitur. Conf. BOERHAAVII *Institut. med.* §§. 1053. 1054.). *Corpora ergo robusta citius contrahent senectutem, quam ea quae valetudinaria sunt.* Quam pulcre haec demonstrata cum obseruationibus conueniunt!

## §. XXVI.

Comparauimus haec corpora valetudinaria cum robustis, & differentiam, quae corpora haec inter se inuicem alunt, indigitauimus. Superest nunc, vt exinde *caussas* eruamus, quibus fit, vt valetudinaria subiecta prae robustis diuturnio-



rem plerumque nanciscantur vitam. Patebunt haec facile, si statum corporis valetudinarii & robusti referas ad ea, quae de maiori minoriue vitae diuturnitate in superioribus euisa dedimus. Quod ergo a nobis iam erit peragendum exactius.

## §. XXVII.

Corpora valetudinaria inde *primo* vita prae robustis diuturniore plerumque gaudent, quoniam regulas diaeteticas communiter exactissime obseruant, robusta contra ea multos, graues & frequentiores plerumque errores in vsu rerum non-naturalium aliarumque admittunt. Valetudinarius a leuissima etiam caussa morbifica aegrotat (§. XVII.). Quoties ergo leuissimum quoque circa non-naturalium vsum admittit errorem, toties incommoda, morborum satellites, percipit, quorum demum pertaesus, omnia vitare annititur, quae corpus suum morbo adficere per saepius repetitam didicerat obseruationem. Sibimet ipsi hac ratione regulas diaeteticas, in vsu rerum non-naturalium obseruandas, format & delineat, quae & corpori accommodatae, & ab experientia petitae, non poterunt non maxime esse securae. Robustus contra ea, exactam valetudinarii vitae rationem deridens, robore suo deceptus, haec omnia non curat. Toties enim diaeteticos errores sine sensibili damno admittit; non dubitat itaque fore, vt id semper contingat. Fit inde, vt omnes demum regulas diaeteticas susque deque habeat, Medicos contemnens in praescribendis eis adeo exactos. Quae cum ita sint, mirum sane non est, quando experientia docet, valetudinarios exactissime plerumque regulas diaeteticas obseruare, robustos contra ea maxime easdem plerumque negligere. Nunc supra iam docui (§. XV.), corpora, quae multa

C

grauia-



grauiaque morborum continent seminia, potentias vero nocentes euitant, longius vitam protrahere, quam subiecta, quorum corporibus minora quidem morborum insunt seminia, quae autem pestiferae potentiarum nocentium actioni frequentius sese exponunt. Corpora etiam valetudinaria multa quidem grauiaque fouent morborum seminia (§§. XIX. XX.), corpora vero robusta minora (§§. cit.): illa autem potentias plerumque nocentes (nam res non-naturales male adhibitae huc pertinent, quod ex definitione §. X. suppeditata elucescit,) maxime euitant; haec contra ea plerumque easdem frequentissime admittunt, vt ex haecenus dictis perspicitur. Sic ergo nullum erit dubium, quin hanc ob causam valetudinariorum vita robustiorum plerumque sit diuturnior.

## §. XXVIII.

*Secunda* huius phaenomeni *caussa* latet in consuetudine aegrotandi. Dictum enim est, gaudere hac corpora valetudinaria, eandem vero a corporibus robustis abesse (§. XXIII.). Res vero adfetae corpori minus nocent, venenorum exemplo, quae, adepta reiterato eorundem vsu consuetudine, nulla damna demum inferunt. Quum ergo morbi in corporibus valetudinariis; ob aegrotandi consuetudinem, minus sint nociui, quam in corporibus robustis, quibus aegrotandi deest consuetudo: fiet hinc, vt in istis vita minus a morbis periclitetur, quam in his, morbis antea obnoxiiis redditis. Quare etiam illa diutius facile viuere possunt, quam haec, licet morbis infrequentius succumbant. Conf. GAVBII *Institut. Patholog. medic.* §. 644. vbi consuetudinis utilitatem docet.

## §. XXIX.



## §. XXIX.

*Tertia causa*, quae efficit, ut valetudinariorum vita robustiorum sit diuturnior, in magnitudine morborum haeret, quibus subiecta valetudinaria & robusta obnoxia redduntur. Demonstrauimus §. XXIV, morbos, in corporibus valetudinariis obortos, mitiores esse, quam ii sunt, quibus corpora adfliguntur robusta. Nunc morbus ocyus feriusue eo facilius vitae interitum adfert, quo grauior est. Ergo ob magnitudinem morborum breuiorem obtinebunt vitae terminum corpora robusta, quam valetudinaria. Dicitur equidem posse, corpora valetudinaria mitiores utique robustis contrahere morbos, at eiusmodi mitiores morbos, in valetudinariis subnatos, ob languidas vitae vires, aequae facile interitum adferre, ac grauiores in robustis, quibus potentissimae vires vitae insunt. Verum enim vero ut hoc dubium diluatur, notandum saltem est, vires vitae in valetudinariis non adeo languescere, ut vulgo creditur. Ostendimus §. XXI. corporibus valetudinariis maiorem irritabilitatem & sensibilitatem competere. Atqui hae ipsae vires sunt, quibus vitae vires in morbis maxime innituntur (per Patholog. & §. cit.). Ergo falsum est, quod vires vitae in valetudinariis adeo languescant. Dein experientia etiam id, quod asseruimus, quam maxime confirmat. Non solum enim ex obseruatione vetustissima ducimus, morbos, in robustissimis obortos, grauisimos etiam esse, eoque grauiores, quo robustius est, quod inuadunt, subiectum: sed tenerrimorum infantum morbi, comparati cum aduulorum aegritudinibus, ostendunt quoque, infantes abinde non adeo facile satis cedere, ut sub istis ipsis aduuliores solent. Quam multa sunt, quae perpetianda habet, incommoda, infans! Quanta in tenello



corpore exurgit saepe malorum caterua! Nihilo minus haec omnia perfert & ad canam senectutem deducitur. Dimidia horum malorum pars adultum prosternit vitaeque eius filum abrumpit. Sed infantes, comparati cum adultis, nil sistunt, nisi corpora valetudinaria, adulti contra ea, corpora robusta. Dum ergo obseruatio docet, in infantibus morbos non adeo facile interimere, ac in adultis: nonne hinc, quae so, corroboratur thesis, qua asseruimus, morbos corpora valetudinaria minus facile, quam robusta, morte adficere? Hinc propositum dubium satis dilutum esse censeo.

### §. XXX.

*Quarta* demum huius phaenomeni *caussa* a praematura corporum robustorum senectute desumi debet. Notauimus & euicimus §. XXV. corpora robusta citius ac valetudinaria senescere, de quo sane eo minus dubitari potest, quod certius est, quod subiecta robusta regulas circa motum corporis progressuum usumque rerum non-naturalium obseruandas, negligant (§. XXIII.), vnde iterum facile fit, vt praematura inducatur senectus (*Celeberr. LUDWIGIVS* l. c. §. 608.). Quum iam in ipsa senectute eiusmodi oriantur in corpore humano determinationes, quae mortem inducunt, quod ex rigiditate, inspissatione & acrimonia fluidorum patet, quae per senectutem, prius eandem producentia, maiora capiunt augmenta: sequitur, eo citius generatim mortem oriri, quo citius senectus corporibus inferatur. Corpora vero robusta valetudinariis citius senescunt (§. XXV.). Opus itaque hinc est, vt valetudinariorum vita robustiorum tunc diuturnior fit, atque ad longius protrahatur tempus.

### §. XXXI.



## §. XXXI.

Ex haecenus dictis praecipuae ergo causae cognoscuntur, quibus fit, ut valetudinariorum vita robustiorum fit diuturnior. Ex ipsa vero causarum recensitarum natura cognosci potest, vitam valetudinariorum, robustiorum vita non semper posse diuturniorem esse. Nonne enim experientia docet, valetudinario nonnunquam minus, quam robusta subiecta, exactam servare vitae rationem? Tunc vero non solum valetudinariorum vita erit breuior (§. XV.), sed mors magis adhuc, ob inconuenientem vitae rationem, accelerabitur. Consuetudo porro aegrotandi minuit equidem morborum periculum, sed non in integrum tollit. Quodsi itaque nimis graues in corpore valetudinario oriantur morbi, in corpore vero robusto, ob exactam vitae rationem, mitiores: eius vita, licet aegrotandi consuetudo adsit, nihilo minus huius pariter vita erit (§. XXVIII.). Morbi praeterea in corpore valetudinario mitiores generatim sunt, quam in corpore robusto (§. XXIX.); fit tamen haud raro, ut, ob accidentales quasdam circumstantias, contrarium obseruetur. Quo in casu iterum corporis valetudinarii vita minus, quam robusti, poterit esse diuturna (§§. XXIX. XIII. XIV.). Denique in corpore valetudinario citior equidem prouenit senectus (§. anteced.): interim nimia valetudinariorum mollities, cui sese non ita raro dant, quaeque plus nocet, quam citior senectus, mortem etiam magis accelerat, quam citior robustorum senectus. Quae vero cum ita sint: pater, *valetudinariorum vitam plerumque quidem (§§. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.), sed non semper (per anteced.), vita robustiorum subiectorum diuturniorem fore.*



## §. XXXII.

Euiſta iam, quam demonſtrandam mihi propoſueram, theſi, nihil iam reſtat, quam vt regulas nonnullas, tam valetudinariis, quam robuſtis, commendem, quarum auxilio valetudinarii longaeuitatem acquirere, robuſti autem eam, quam ſua natura iam poſſident, ad vitae diuturnitatem, diſpoſitionem magis augere queant. Quum enim haecenus de valetudinariorum & robuſtiorum vita eiusque diuturnitate dictum ſit, nihil ſane eſt conuenientius, quam vt nunc deſcriptas regulas paucis adducamus.

## §. XXXIII.

Valetudinarii itaque

- I. *Fugiant nimiam corporis molliſſimem.* Quum ſubieſta valetudinaria adeo facile morboſe adſciantur (§. XVII.), haud difficulter hinc ſit, vt nimiae ſeſe addicant molliſſimae. Hac enim ratione putant, ſe incommoda, quorum adeo ſunt pertaeſa, certo certius effugere poſſe. Quantum vero hac in re decipiantur, vel ex leui effectu, a nimia corporis molliſſimae prouenientium, conſideratione patere poſteſt. Nimia enim molliſſima non tantum debilitat, & debilitando fluidis acrimoniam inferat, ſed etiam dum molliſſimae ſe ſe dantia ſubieſta nimium caute potentias nocentes vitant, nimiam erga has ipſas ſenſibilitatem inducit. Valetudinarii ergo multiplici ex ratione a nimia corporis molliſſimae damnum conciliatur, quae idcirco ſedulo vitanda eſt.

II. Re-



II. *Regulas dieteticas cautius obseruent, vitaeque regimen tale eligant, quale corpori suo conuenire sciunt.* Nisi enim hoc agant, vitam diuturnam acquirere nequeunt (§§. XIII. XIV.). Caueatur modo, dum hanc regulam obseruant, mollities (n. I.).

III. *Non abutantur medicamentis.* Nisi enim vere aegrotent, medicamentorum usu non est opus, immo damnosus erit hic praeter necessitatem susceptus medicamentorum usus. Facile enim, dum medicamenta ob mixtionem suam agunt, nouum seminium morborum exsurgit. Vt de eo iam nil dicam, quod nociua abinde demum medicamenta assumendi enascatur consuetudo, quae eo erit insalubrior, quo magis dein per eandem saluberrimorum etiam medicamentorum infringitur virtus. Certius haec subiecta suam conseruabunt sanitatem, si regulis n. I. & II. adductis morigera sese praebcant.

#### §. XXXIV.

Corpora contra ea robusta

I. *Caueant sibi, ne nimium frequentiusque contra regulas dieteticas impingant (§. XXVII.).*

II. *Fu.*



24 *De Valetudinariorum vita robustiorum diuturniore.*

II. *Fugiant imprimis nimium corporis exercitium, quod citiorem infert senectutem (§. XXX).*

Harum regularum. obseruatio, cum optima horum corporum dispositione coniuncta, ea longaeua reddet & ad canam deducet senectutem.

T A N T V M.













00 A 6328

ULB Halle

002 836 53X


3



Retro ✓









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**VALETVDINARIORVM VITA  
ROBVTIORVM DIVTVRNIORE**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICII

ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE SENIORE, ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE XXIX. APRILIS, A. R. S. MDCCCXLV.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

**IOANNES GODOFREDVS ZOBEL**  
GOLDBERGA-SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.

